

Topographia urbis Bernensis auctore Henrico Gundelfinger : ex manuscripto coætaneo bibliothecæ P.P. Capucinorum Rotondimontis transcripsit Jo. Gremaud Maio 1876

Autor(en): **Studer, G.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Archiv des Historischen Vereins des Kantons Bern**

Band (Jahr): **9 (1876-1879)**

Heft 2

PDF erstellt am: **23.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-370773>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Topographia urbis Bernensis

auctore

Henrico Gundelfinger.

Ex manuscripto cœtaneo bibliothecæ P. P. Capucinatorum Rotondimontis
transcripsit Jo. Gremaud Maio 1876.¹⁾



Henricus Gundelfingen, arcium et philosophie magister, universitatis Friburgensis collegiatus Beronensisque ecclesie canonicus, Petro Kistler (pie memorie) arcium magistro perdocto, ecclesieque collegiate in Zoffingen preposito dignissimo, amico confratri dominoque primario salutem plurimam dat et se reddit commendatum. Emunctam urbis tue Bernensis (que tibi patria est, vir integerrime) topographiam non mecum satis conveniebam cui, Hercle, primo mittere vellem, ut nomini suo aliquid afferret splendoris. Cupimus enim omnes, quadam umbratili impulsi gloria, quibus auxiliis possumus fragiles labores nostros nobilitare et diuciores facere alicui viro claro prepollentique eosdem titulando. Quam ob rem longa indagine mentis quesivi, quem ex multis colligerem, et ante alios prepollentes mecum evolvere cepi tue patrie viros; tunc in mentem venit (observandissime vir) tua mihi prestancia

¹⁾ Dieses Schriftstück wurde von Hrn. Prof. Gremaud, Kantonsbibliothekar in Freiburg, aufgefunden, kopirt und der Redaktion des Archivs freundlichst zur Verfügung gestellt. Die Anmerkungen wurden von Hrn. Prof. G. Studer beigelegt. Ueber die Person des Verfassers siehe hienach.

excellentissima, cui hanc ipsam tue urbis descriptionem ac laudem dicarem. Tanta, Hercle, est liberalitas ac beneficencia tua, qua in hunc usque diem omnes bonos viros participes fieri conatus es, ut hec tue urbis descriptio (quamvis nihil amicicie mecum contraxeris) non ab re nomini tuo dicari censeatur. Succrevit enim in dies tui nominis ac virtutis fama ac ferme in tota confederatorum terra adeo percrepuit, ut prudentissimus Bernensis senatus te ad ardua vocaret negocia, quique tuo consilio in rebusque gerendis providencia quam maxime utitur, qui etiam occultas animi sui meditationes tue fidei et sapiencie committit; ubi tantum fidei tantumque auctoritatis nactus es, ut in maximis rebus ad maximum urbis Rome pontificem te et oratore uteretur et nuncio. Pensatis ergo virtutis tue laudibus votum in te deflexi meum et tibi hanc ipsam descriptionem et mitto et tuo nomini dedico, quam liberali animo suscipias pauperisque amici et confratris munusculum (non sale Minerve conditum), amantissime vir et confrater, non renuas, ut sic te doctore teque monitore correctioni subiciatur. Vale et me tibi commendatum habeas velim.

Solebant literarum principes antiquitus nedum¹⁾ mortalium, qui aliquid insigniter peregerunt, famam posteritati laudibus litterariis commendare, sed et oppida ipsa, verum etiam mortalium nidos ac (ut ita dixerim) caveas, domos inquam ipsas, si quibus dotibus atque structuris precelebant, historico pene stilo in lucem famamque provehere. Quocirca nec iis meus labor irreligiosus aut indecens dici (ut spero) merebitur, si Bernensis oppidi situm tantisper ac loci amenitatem descriptione, qua possum, quantulumcumque etiam, obivero.

Est enimvero Berna tantatissima²⁾ pene Helveciorum civitas, Lausanensis dyocesis Bisuntineque provincie insigne decus, tametsi non vetusta sit; tamen post Aventicum,

¹⁾ In der Bedeutung von *non solum*; kommt auch weiter unten S. 183, Z. 22 vor. ²⁾ Ohne Zweifel für *laudatissima*.

alias Lausannam, primaria a plerisque talium rerum curiosis iudicata est. Referunt namque, quod a Berchtholdo, Zeringensi duce huiusce nominis quarto, a salutifero Virginis partu tridecimo supra trecentessimum anno initium sumpserit.¹⁾ Is namque dux munificentissimus cum impensis et sumptibus non mediocribus urbem iam in altum extractam complexisset, de nominis impositione multum ambigebat; statuit itaque veterum (qui urbium auctores fuerant) consuetudinem emulari, saltusque ac silvas ingressus omen urbis nominande ab eo, quod sibi primum occureret, animali petiturus erat. Apparuit ecce confestim ursus, animal nimirum occursu truculentum ac ferox, validissimum viribus, vitam tamen ducens frugi; parvo namque cibo contentum pro magna anni parte et fortitudine sua degenerat. Pietatem etiam hominis instar in fetus educandos observat, ymo (pene fide mayus) pudoris numen tum in coitu tum etiam in partu peregre reveretur; nam ut Plinius, insignis hystoricus, inquit, nec quicquam homines rarius videre quam ursam parientem.²⁾ Mares etiam quadragenis diebus, femine quaternis mensibus aut in specu aut in ramorum fruticumve congerie latent, tamquam sub divo incedere pertimescant, quoniam tetre libidinis commercium pataverint, quo circa etiam vetustissima animalia³⁾ edocent. Domicius Enobarbus edilis curulis⁴⁾ Romane iuventuti ursos numidicos in circo publice spectandos prebuit, tamquam hoc animal liberalius a natura honestiusque dotatum humanis pene moribus quiddam (si dicere ausim) simile pre se ferret. Quis hominum igitur tanta animi nube obscuratus fuerit, qui non intelligat, felix hoc faustum-

¹⁾ Er wollte wohl sagen, dass seit Gründung der Stadt — nicht seit Christi Geburt — 313 Jahre verflossen seien, und verwechselt dabei Freiburg mit Bern, denn wenn seit der Gründung Freiburgs (1173) 313 Jahre verflossen sind, so kommen wir auf 1486, das Datum der Abfassung dieser Schrift (siehe am Ende). ²⁾ Plin. H. N. VIII, 36, 54. ³⁾ Statt *animalia* = *annales* (Du Cange), wie pag. 180, Z. 14 u. pag. 184, Z. 20 ⁴⁾ Wohl eher *curulis*.

que huic urbi omen fuisse, hominesque illic nascituros significasse, qui corporis viribus validi, laboris tolleratu strenui, virtutum studiis, viciorum abhominacione (nihil volo clarius dicere) vehementes ac admiracione digni haberentur. Urbem igitur dux illustris ab eodem momento Bernam (quoniam nativo sermone id ipsum animal incole ita nominant) appellavit.

Ornatissime eciam sita in Ödlandia Burgundionum terra circa Aram fluvium qui eam ferme totam alluit preter modicum spacii continentis, in modum chersonesi per terminum collis, inter Jurassum Prigeque montes¹⁾ extracta videtur centumque stadiis a lacu Lemano, alias Lausannensi, distare dicitur. Referunt namque antiqua apud nos animalia²⁾ Burgundos eam terre partem hominum incultam desertam inhabitatamque antehac primum incoluisse easque gentes ex Scandiis ultimis Sarmathie (!) insulis ad DCCCLXXX milia ripe Rheni ac precipue in Ödlandia, a loci deseracione dicta, minori maiorique Burgundiis insedissee; has quondam, subacta interiori Germania a Druso Germano et Tiberio adoptivis filiis Cesaris, per castra disposita³⁾ in numerosam coaluisse gentem avitam, atque ita eciam nomen ex opere presumpsisse, quia compluscula per limitem habitacula constituta burgos vernaculo sermone vocitant; eorundem prevalidam esse manum pallie⁴⁾ omnes hodie testes sunt.⁵⁾ Tota ferme urbs austro imminens ita in longitudinem exporrecta, ut quasi Chersonesum faciat, qui versus portam, qua Friburgum itur, apertam planamque ac solidam habet terram profecto Cereri dicatam, et denique artifice natura ita extracta, ut necquaquam municius, firmitus nec denique amenius inveniri possit; preruptis enim undique rupibus

¹⁾ *Prige montes* sind die Berge, über welche man auf dem Grimsel und Lötchenpass in den Zehnten *Brieg* und von da auf Saumwegen (Simpelen, Albrun) in die Lombardei wanderte. ²⁾ Statt *animalia* = *annales*. ³⁾ *dispositas*. ⁴⁾ Wohl eher *Gallie*, vergleiche unten, p. 184, 27. ⁵⁾ Vgl. Abhandlungen des hist. Vereins V, 230. Note.

collibusque circumdata ita inexpugnabilis efficitur, ut nullis egeat vallis vel propugnaculis. Menibus eciam validissimis invincibilibusque turribus ac fortaliciis ita circumsepta, ut quoscumque hostium eciam maximos impetus facillime contemptui ducat. Valetudini eciam (que inter bona a philosophis connumeratur) urbem illam indubitato convenientissimam ex animi sententia dicere velim; non enim pestiferi venti, non tetre ac scenole¹⁾ paludes, sed apprica loca et verna clemencia temperata: colles clementi et castigato vertice exurgunt; salubriores ex collibus quam usquam gencium aque profluunt; non gravis estas, non morbosus autumnus, sed ut Marronis tuba decantat²⁾: «Largos³⁾ hic campos ether (et) lumine vestit purpureo solemque suum, sua sydera norunt». Invenire licet plerasque urbes singulari quadam dote conspicuas: Sicilia mellis suavitate laudatur, Arabia plantarum odoribus felix censetur, thure Sabei, messibus Gorgana⁴⁾ insignis habetur. Hec autem urbs est, cui tanquam Pandore Dii omnes (ut ad poetas confugiam) singuli bona singula dederunt. Non enim facile expresserim, quam innumeris a natura dotibus exornata sit; quoniam voluptatui et fructui simul semper presto esse videatur. Singule namque istius soli partes ea celi salubritate ac loci commoditate ita temperate sunt, ut nihil quod mortalium corpora labefactet illinc exurgere queat. Validissimum eciam eius rei argumentum hoc est, quod hec urbs habet senes, qui vita per quatuor Saturni cursus⁵⁾ bene valentes et animo et corpore funguntur atque ad ultimum humane nature finem sanitate ipsis morigera perveniunt, ut Acastum⁶⁾ aut Nestorem (quoniam diucius eos vixisse hystorie recensent) illic fuisse et hac aeris temperancia se tamdiu sustentasse citissime quis mihi persuaserit. Torrens eciam huiusce urbis suburbana preterfluit civitatique non minimas

¹⁾ Vielleicht *scevole* = *scævæ* oder verschrieben aus *cenose* = *coenosæ*. ²⁾ Virg. Aen. VI, 640. ³⁾ Statt *Largior*. ⁴⁾ Statt *Gargana*. ⁵⁾ Vgl. Cic. N. D. II, 2: *triginta fere annis cursum suum conficit*; also $4 \times 30 = 120$ Jahre! ⁶⁾ Ovid. Ep. Heroid. 13, 25: *grandevus Acastus*

utilitatis partes impendit, fluentis quoniam suis ab omni sordium ac immundiciarum sentina per tres vicorum ordines ad hospitalis pontem usque strata viarum exonerat, purgat ac nitida reddit, preterea omnem agri planiciem extra superiores partes irrigat, ita quod idem ager quottannis fideli fenore votis colonorum respondens frumenta, legumina, fructus ac singula alia, quibus humanum genus alitur habunde administret. Montana eciam loca, etsi nullis vomeribus aut sarculis domentur, quod frigore torpeant, non mediocriter denique eius urbis inhabitatoribus famulantur; ubertim enim ligna suggerunt, quibus hyemis asperitas vincatur ante focum, cum frigus fuerit. Cum igitur ea urbs hiisce copiis exornata prorsusque ex omni parte perfecta et absoluta esse videatur, ut pene nihil ad ornatum, nihil ad pulchritudinem ei deficiat, non possum mihi temperare, quin eciam laudes aliquas paucis elegis pro arbitrio meo exponam. Qui elegi versus quamquam infestivi ac nimis subrustici sint, non tamen ab omnibus penitus contemptui duci admodum opto. Nam ut olim qui thura non habebant mola salsa litabant, quique auri penuria laborabant lacte divos placabant, identidem ego, quoniam perquam mediocri ingenio laboro, quos possum versiculos edo.

Gemma lucet veluti fulvo cum nectitur auro
Sic Berna colit Helvetiense solum.
Huic cedant molles mittentes thura Sabei,
Atque Arabi cedat terra benigna soli.
Hic orti Hesperidum et pomaria culta Pheacum,
Hiis etiam terris arva beata nitent.
Celso labuntur fluvii de monte perennes
Atque secant variis culta vireta locis.
Temperat unda solum et plantas se fundit in omnes
Letaque delectis terra fovetur aquis.
Hic viret omnis ager, flores per prata dehiscunt
Et ridet densis arbor opaca comis.
Hic picte volucres mulcent concentibus auras
Et resonat dulci mixtus odore lucus.
Non hec thessalicis infecit jugera philtris
Colchis, nec Circe dira venena tulit.

Non hec Sydonii sulcarunt predia tauri,
Non hec Lernio sanguine terra madet.
Non galeata virum seges istis horruit arvis,
Nec ruit alterno vulnere nata cohors.
Hic ager, hic terra ferax celumque salubre,
Atque peregrinis comoda multa viris.
Dum mare delphinos, dum celi clara tenebunt
Sidera, dum gratas tellus dabit humida fruges,
Dum genus humanum sua deget secula terris,
Splendor erit toto Bernensium celebrior ¹⁾ evo.

Fontem preterea preciosissimum circaque eundem pro iure reddendo tribunal mirabili celatura (ut hominibus miraculo uideatur) in foro habet; inde aggerem prealtum ea parte qua Friburgum itur munitissimum Ödlandie oppidum, meniaque ibidem spissa, sublimia viridariaque optima arboribus consita, turreaque fortissimas, ad bellum promptissimas videmus; edes civium ample, comode ²⁾ nec nimium depresse fenestre, que undique vitree perlucet in domibus; multa et munda supellex; siccoque pede ad omnem ferme urbis partem pluviali hyemalique tempore Bernenses sub testudinibus ambulare poterunt, quod quidem talismodi urbi nedum mediocriter, sed maxime conducit, pro foro rerum venalium habendo censetur; pretoriumque superbissime ornatum quis non potius admiretur, quam laudet, et obstupescat, quam credat? Equorum iumentorum et omnis generis capacia stabula in ea urbe sunt, tectaque omnia latere conteguntur. Celle vinarie spaciose profundeque sunt; platearum lautissimarum solum stratum lapide duro, ut neque plaustorum rotis facile conteratur. Scio (amplissima prestantissimaque Berna) te nunc tacite admirari, quod inter eminentissima tua preconia illud pretermittam, quod nequaquam negligendum est, sed et omnium et, mea quidem sententia, primis semper laudibus preferenda ³⁾, scilicet illa preclara Martis domus,

¹⁾ Wohl eher *celebris*, des Metrums wegen. ²⁾ Statt *commodate*.
³⁾ Statt *preferendum*.

dominii tui tutissima et firmissima spes, in qua armamentorum, telorum diversa genera, tot bellorum machine, tot enea serpentinaque tormenta reposita sunt, quam tu, sicuti bellicosissima, longe amplius maioribus tuis in Burgundorum bellis contra Karolum gestis auxisti, ornasti hodieque amplificas. Hinc ocium et quies, hinc tuti securique lares, hinc civitatis salus et custodia, hinc populorum presidia et ulciones, urbium conservaciones et eversionses, hinc sanguine et iusticia partum dominium viget, hinc hostibus terrorem incutis, hinc exteris nacionibus pro vestro libitu frenum imponitis, hinc eciam, ubi res urget, turbulentissimus belli furor totusque Mars in aciem accendit¹⁾, hinc denique omnis laus, omnis gloria, dulcissimum rerum gestarum...²⁾ proficiscitur, et unde urbi tot gloriosissime victorie parte sunt. Ut in dies magis magisque augeas immortale decus votis susceptis perpetuo deprecamur, ut et tibi glorie immense nobisque saluti optatissime vergatur. Multe enimvero valles dominio eorum subiecte circa talismodi urbem sunt. Frutigen, ubi divi Vespasiani imperatoris romani (ut nonnulla antiquorum annalia testantur) arx (a qua ortum traxisse dicitur) cernitur (!); Haslacus, deinde Sanen ac Sibental, pascuorum feracissime valles, ex quibus eciam lanificas habent officinas; eapropter accole ut plurimum commerciis magis quam agriculture operam dant. Bernenses eciam mulieres pre ceteris ad fecunditatem et liberorum educacionem valent. Viri autem rerum bellicarum studiis ac mercimoniis invigilant, Gallias omnes percurrentes, unde fit, ut pre ceteris peccuniis argenteisque vasis ac clenodiis, chrateris paterisque habundant et multis in urbibus et honoribus et diviciis clarissimi habeantur. Adeo vero bellicarum rerum studiis ceterisque officinis sese dederunt ut vincendi bellandique studio omnem ferme provinciam laci Lemanni, Allobrogum Lausannensiumque, in bello adversus Karolum Burgundionum ducem obtinuerint. In

¹⁾ Statt *ascendit*. ²⁾ Fehlt vielleicht: *pretium*.

ea sunt etiam religiosorum monasteria opulenta; amplissimum ditissimumque pauperum hospitale urbem huiusmodi ingredientibus per pontem Are fluvii occurit. Ipsique Deo maximo optimoque divo ac martiri Vincencio templum dicatum et amplum et splendidum, secto lapide constructum, prospicitur, admirabili turris edificio perlucidum et columnarum ordinibus admirandum, in quo tot triumphalia in eo pendencia manipula ac vexilla in Burgundionum bellis parta videre pulchrum est. In eo templo sanctorum plurime et preciose reliquie, argento, auro gemmisque vestite; huiusce templi aliorumque ingens ornatus divesque suppellex. Consulatus huiusmodi urbis minor viginti quatuor eligitur, maior autem ducentis senatoribus illustratur; tum iudex ex hiis, qui urbis caput est, scultetus alias dictus. Primus namque ex oppido Friburg Brisgaudie ex familia vetustissima dictorum Status¹⁾ a Berchtoldo duce fuit datus, qui iuri reddendo preesset; deinde urbis questor, qui bursarius apud eam urbem est dictus; tum primipilacius, qui banerium in bellis ferre consuevit, qui cum ad bella proficiscitur ultra duodecim armipotentium milia secum ductat. Et quamvis Berna ea potestate qua²⁾ de Kyburg comites Berchtoldo sine liberis decedenti sicuti veri heredes successerint, damnosa sustinuerit bella, intra extraque muros exigue fuerit potencie, conplusculique eo tunc essent, qui eius libertatem subvertere annexi sunt, tamen nunc liberrima optimisque instituta moribus legibusque adeo crevit, ut iam extra muros viginti ferme comitatum potentissimorum domina sit. Comites profecto et barones Ödlandie minorisque Burgundie, qui eam urbem subvertere nitebantur, non ab re apud nos enumerare decrevimus: Comites de Kyburg, comites³⁾ de Nüwenburg, Rudolfum et Ulricum comites de Nydow, Rudolfum et Heimonem filium eius de Muntinach, Udalricum de Stras-

¹⁾ Theto v. Ravensburg! ²⁾ Soll wohl eher heissen: *ea tempestate, quum.* ³⁾ Unleserlich; vielleicht eine Abkürzung von *novi castr.*

berg, Rudolfum de Uffhusin, Udalricum aliosque de Thun, Rudolphum et fratres eius de Brandies, Lutoldum de Sumiswald, Johannem de Strettligen, Ulricum de Langenstein, Berchtoldum de Petirlo¹⁾, barones, qui communi sensu eam urbem coegerunt, ut in comitatum²⁾ de Kyburg manus se traderent; sub quibus aliquamdiu gubernati exposit in quodam cum Sabaudiensibus comitibus bello pro parte comitum de Kyburg a Bernensibus feliciter preclareque gesto ab eisdem de Kyburg comitibus omnimode libertati donati.³⁾ Multis deinde annis preclarissimis facinoribus efulsit omnium hostium vicinorum dominia obtinendo, quod cum premencionati comites ac barones viderent, rebus suis diffisi quemdam de Cussino comitem, pro tunc in Francia armipotentissimum, ex filia nonnulla quondam Rudolfi regis Hasburgensis natum, sicuti verum Ergaugie heredem cum quinquaginta Anglicorum Pictorumque milibus equitum armipotentum Bernam diripere autumantes in id bellum asciverunt. Quibus Bernenses cum federatorum auxiliariis in suis confinibus occurrerunt totamque eorum expeditionem (ut vix belli istiusmodi nuncius relinqueretur) trucidarunt. Hiis felicissime gestis postea et precipue iam etate nostra in Burgundionum bellis adversus Karolum eorum ducem opibus rebusque ornamentis adeo amplificata fuit, ut ceteras Helveciorum urbes reipublice magnificencia, aspectu, virtute, edificiis excelluerit. In ea urbe ipsa compluscule nobiles preclareque familie continentur, de Bubenberg videlicet, de Erlach, de Diesbach, de Stein, de Ringoltingen, de Wabren, de Palm alieque, quas enumerare labor esset, quarum; Hercule, prudentia, magnanimitate virtuteque Berna prestare videtur per multosque annos mirabile⁴⁾ sortita est.

Nihilque magnificencie huic ipsi urbi deesse videtur, si gymnasium (preter omnia alia preconia eam prelustriorem redderet) haberet⁵⁾; quod quam utile, quam honestum, quam

¹⁾ Für Piterlon (Pieterlen). ²⁾ Statt *comitum*? ³⁾ Verwechslung von Kybürg mit Savoy. ⁴⁾ Vielleicht ist *nomen* ausgefallen. ⁵⁾ Vor *preter omnia* ist wohl *quod* zu ergänzen.

necessarium, quamque facile esset vestre urbi, o viri Bernenses, huius modi gymnasium erigere persuasurus vobis veni. Omnes enim homines quicquid molliantur, aut honoris aut commoditatis aut salutis causa ducuntur. Quid enim vero utilius studiorum varietate in gymnasiis, ubi littere divine, sacri legis divine et humane canones medicineque docentur, vera atque philosophia et communis hominum vita. Quibus quidem solis litteris homines Deum celi et terre plasmatores colere, equum ab iniquo discernere, cuiusque iusticiam facere superioribusque obtemperare, corpora refrenare et vitam iuxta rationem ducere et nedum animarum salutem, sed et corporum sustentamenta¹⁾, ubi diversis a provinciis studentes non eris vacui confluunt, per quos opifices, artifices, officinarumque officiales ceterique plebei opulari videntur, qui ad amplificanda vectigalia (que reipublice nervos Cicero esse dixit) necessarii esse videntur. Quibus exploratum habemus, omnia mundi imperia ac regna, omnes prelationes, omnes denique principatus secularium spiritualiumque in solo sapientum presidio gubernari posse. Quis, Hercle, Grecis aut Persis Babilonisque²⁾ imperia dedit? quisve Romanis totum ferme orbem subiecit et in solida pace gubernavit? nemo quam sacrarum legum et litterarum traditores. Quis item nostro evo prelationis apicem ascendit, qui gymnasiis operam non navaverit? Etsi utilitatem (integerrimi viri Bernenses) non magnipenderitis, necessitatem attendite. Interroget quis, ubi videlicet extra gymnasia sacre exponuntur littere, ut hereticis et fidei emulis resistere valeatis, ubi legum intelligencia aperiatur, ut cuicumque jus suum tribuatur, ac tandem vera philosophia reperiatur? Quibus modico cessantibus tempore nostra prudentia periret tota hominesque in feras bestias et regna in latibula latronum verterentur. Ideo cum respublica religioque nostra deficient, ad studia generalia

¹⁾ Fehlt ein Verb. etwa *discunt, dignoscere docentur*, oder so etwas.

²⁾ Für Babiloniis.

recursus ultimus habetur. Hiisce utilitatibus necessitatibusque (fortissimi viri Bernenses) moveri vos velim; cum filii vestri per scienciarum haustum doctrinarumque seminarium prudentes providique fierent, tum facti disciplinarumque omnium periti reipublice vestre apprime conducere videntur. Disponite ergo apud urbem vestram doceri artes, cuiusque professionis vigere studia, ut vicini doctrinarumque famelici in tota federatorum terra in vestra urbe veniant ipsorum ut aviditatibus satisfiat, ne ad investigandas disciplinas peregrinas naciones expetere, alienis in regnis mendicare atque suum exteris dare compellantur. Bonum autem hoc reipublice futurum intendimus; consiliarios sane vestros non sine magnis meritis et laudibus ad servicia vestra ex gymnasio vestro vocaretis; codices legum (viri Bernenses) animo volutate¹⁾ ubi habetur, quod docti, qui in gymnasiis plantantur, dirigunt ambiguas causas, defensionisque viribus in rebus sepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, et non minus reipublice provident, quam si preliis et vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec enim solos vestro imperio militare credatis illos, qui gladiis, clipeis thoracibusque rempublicam defendere nituntur, sed eciam doctos prudentesque viros (si quos in gymnasio vestro educaretis) preclarissimis milicie titulis apud vos militare autumetis. Militant namque causarum patroni, qui gloriose vocis munimine causas defendunt. Videmus omnia sane orta occidere auctaque senescere (ut verbis Salustii utamur), virtus tamen clara eternaque habetur.

Quid (o cives Bernenses) usquam felicius, quid decencius, quidque decorum magis aput mortales unquam fuerit, quam, ne vitam silencio transirent, famam nominis aut preclari facinoris aliquid peracte vite nobile monumentum (quo Diis immortalibus similiores essent) post decessum relinquere? Quo mihi rectius esse videtur, vos, quibus

¹⁾ Unleserlich.

corporis virium satis abunde est, ingenii atque artis bone magnopere gloriam querere, et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam vestri quam maxime longam efficere. Quid autem, viri primarii, famam illam bonam ac gloriam usque permansuram amplius efficere posset, quam si bonarum arcium studiis vel ad mentes excolendas urbs vestra munitissima foret, quamque, uti in ceteris industrie ac probe, ita in litterario gymnasio erigendo celebritatem nominis vestri firmissimam et perpetuam efficere conaretur? O quantum urbis vel pace vel bello presidium, vallorumque fortissima municio, nullo aut machinis aut tormentis evo ruitura, ferrum duricia superans, adamante solidior et furibundi Aiacis clipeo septemplici validior, scita magni prudentissimi Ulixis eloquencia efficacior, qua menia nullis expugnanda militibus tutarentur, errorum tela acerrima vitarentur, viciorum hostes sevissimi turribus arcerentur!

Quare, tametsi vos deceret litteris ac doctrina non cedere quibus vos constat terori esse, utilissimum tamen censeo vestra in urbe studio sapientie domicilium erigere, multum profecto vestris et liberis et posteris conducturum; vestra quippe, qui patres estis, interest, ut liberi vestri istic potissimum discant, ubi severitatem parentum vereri cogerentur; ubi enim jucundius quam in patria, aut continencius viverent, quam sub oculis parentum, aut minore sumptu quam domi?

(Il manque ici un feuillet qui a été arraché. *Gremaud*).

. aut maius aut illustrius extitisset, id vestre munificencie quam liberalissime et multo alacrius obtulissem, sed ut Arthaxerses (attestatum Plutarcho suis in Appotegmatibus)¹⁾, prestantissimus rex Persarum, dicere solitus erat, non regale minus atque humanum est in ipso rege et principe accipere parva munuscula, quam ingencia munera elargiri, non solum noscimus, ea vos esse altitudine, ut longe maiora sitis soliti referre, quam acceperatis; nam qui sua

¹⁾ sic, statt *apophthegmatibus*. Plut. Opp. Reiske. T. VI, 657.

dat largo¹⁾, non dat, sed fenerat illi, semina pauca iacit, commoda multa metet. Pro mea erga vos fide a me poscitis²⁾, at³⁾ equo animo feratis, vos ipsos amem, vos colam, vos admirer, et me, qui unice vos veneror quam maxime, commendatum habeatis velim, quandoquidem vestra causa ac gracia factum est, ut hanc vobis vestre⁴⁾ topographiam ad vos, quamquam rudibus verbis, prout ingenii mei mediocritas tulit, proscripserim. Dicant igitur cuncti, proclamant universi, Dii Bernam perpetuent cuncta per secula letam, ymmo et vos, cives Bernenses armipotentissimos, optimus maximusque Deus conservet, ut vobiscum una sublatis bellis possimus congaudere ad laudem omnipotentis Dei ac vestri nominis gloriam sempiternam. Amen.

Hec sunt, que mihi, Heinrico Gundelfingen, arcium et philosophie magistro, studii Friburgensis collegiatio Beronensis ecclesieque canonico minimo, de urbe Bernensi armipotentissima in mentem subiere anno Dni M CCCC° LXXXVI° duodecimo Kalendas octobris.

Peter Ristler, welchem die vorstehende Topographia zugeeignet ist, war der Sohn des Schultheißen Peter Ristler und seiner Ehefrau Klara Hechler. Er wurde dem geistlichen Stande gewidmet, und ist darin zu hohen Ehren und einem gewissen Ansehen gelangt. Probst zu Zofingen und nachwärts Stiftsdekan zu Bern, wurde er mehrmals zu auswärtigen Gesandtschaften gebraucht, wie 1481 an den Pabst (worauf Gundelfingen eine Anspielung macht) und 1489 an den König Karl VIII von Frankreich. Sein Tod erfolgte 1492 und mit ihm oder mit seinen Brüdern scheint das Ristler'sche Geschlecht erloschen zu sein. (v. Rodt. Zwingherrenstreit, Einleitung S. 13.)

¹⁾ Statt *large*. ²⁾ Wohl für *poscatis*. ³⁾ Vielleicht eher *et*. ⁴⁾ Fehlt *urbis*.

Heinricus Gundelfingen ¹⁾ war der Verfasser verschiedener Schriften. Haller's Bibl. d. Schw. Gesch. nennt noch von ihm:

1) *Officium sacrum cum hymnis et collectis de fratre Nicolao Unterwaldensi*. Mss. 1487.

2) *Nicolai Unterwaldensis Heremite praeconizatio*. 1488. Mss.

3) *Vita Ulrici anachorete im Mösslin dicti*. Mss. 1491.

4) Eine Beschreibung der Bäder zu Baden. 1489. Bruchstücke derselben sind in dem Werke Conrad Geßner's erhalten.

5) *Amoenitates urbis Lucernensis, carmine descriptae*. Wurde dem Rath von Luzern geschenkt und von Melchior Ruß in seine Chronik aufgenommen.

In der *historia austriaca* nennt er sich selbst:

Heinricus Gundelfingen de Constantia, artium magister, ecclesiae Friburgensis Capellanorum ultimus. Sonst ist aus seinem Leben nichts Genaueres bekannt. In seiner Denk- und Schreibweise, wie in der mit offener Absichtlichkeit zur Schau getragenen Kenntniß des Alterthums zeigt er sich als Vertreter des eben nach Deutschland und der Schweiz sich verbreitenden Humanismus.

Seine *historia Austriaca*, welche Serenissimo illustrissimoque Sigismundo, domus Austriae, Styriae, Karinthiae etc. principi et nostrae confoederationis Iubari splendidissimo gewidmet ist, soll im Manuscript auf Pergament in der kaiserlichen Bibliothek zu Wien aufbewahrt sein (inter codd. lat. 321).

Lambecius in seinem *Commentarius de Bibliotheca Vindobonensi* Tom. II. lib. II. Cap. VI hat dieselbe zum Theil abgedruckt. Von den ersten Theilen der Schrift urtheilt er in einer Anmerkung: *Tota haec prima epitome fabulosa est et mera continet absurda ac nugatoria figmenta, exceptis tantum tribus ultimis foliis et ne iis quidem integris*. Von dem letzten Abschnitte dagegen sagt er: *Quoniam ea (parte) non res narrantur antiquae et*

¹⁾ So, und nicht Gundelfinger, wie bei Haller steht, schrieb er selbst seinen Namen.

aliunde descriptae, sed recentiores et quas ipse autor non solum respectu temporis, verum etiam patriae suae et loci ubi vixit optime scire potuit, idcirco hic exhibeo integram. Unter diesen von Lambecius wiedergegebenen Theilen ist einer betitelt: *Bellum adversus Burgundiones circa Gransu gestum*. Lambecius macht speziell darauf aufmerksam, daß hier von Herzog Karl von Burgund noch als von einem Lebenden gesprochen wird, die Schrift somit noch im Lauf des Jahres 1476 verfaßt worden ist.

Wir haben somit hier einen im strengsten Sinn gleichzeitigen, und zudem in Freiburg geschriebenen Bericht über die Ereignisse des Jahres 1476, und es möge derselbe als Nachtrag zum „Urkundenbuch der Schlacht bei Murten“ hier nach dem Text des mehrerwähnten Werkes vollständig folgen, wiewohl derselbe mehr rhetorischen Klang und höfische Schmeicheleien als Thatsächliches darbietet.

Bellum adversus Burgundiones circa Gransu gestum.

Insignem hanc victoriam, Clarissime Dux, quam adversus Carolum Burgundionum Principem ejusque complices ex bello circa Gransu Sabaudiae oppidum felicibus auspiciis secunda die Martii anno Domini MCCCCLXXVI una tuis cum concivibus adeptus consecutusque es, hanc scribendo ordine ad te scribo. Quantum enimvero Prudentia, Fortitudine, Magnificentia, Benignitate, Clementia, rebus denique per totam Superiorem Alemanniam gestis cunctos antecellas, omnibus ferme notum est. Qui cum verum Principantis officium duobus maxime capitibus, Serenissime Princeps, contineri animadvertis, dum alterum totis viribus complexus es, alterum minime negligendum putas, adeo ut difficile cognitu sit, in quonam magis excellueris. Primum equidem hoc est, ut hi, qui Iurisdictioni ac potestati tuae subditi sunt, pace, tranquillitate et gaudio potiantur et quam beatissimi sint, rerum denique suarum plena libertate fruantur. Hoc mediusfidius recti regiminis officium est,

magis clementia, benevolentia et amplissimis in subditos beneficiis, quam timore et crudelitate suae Dominationis fundamenta firmare, ne dum populis ac civibus alio pacto imperitare conaris, Tete in magnum vitae discrimen involvas, neque te ab adversariorum insidiis usque tutum esse cognoscas, quemadmodum me audivisse commemoro de Carolo Comatae Galliae Duce, qui tyrannica cum lege suis dominari nititur, omnium injuriam timens, maximo semper milite stipatus, in Ecclesiam etiam, quae orationis et pacis locus est, incedit, in hoc Dionysium Siciliae tyrannum imitando, cujus doctrinam a teneris imbibit annis; qui cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum. Secundum est, ut hostiles impetus ac inimicorum injurias longe a tuis finibus repellas. Quid prodesset domi multa comparasse, nisi comparata conservares, et ab hostili impetu, ferro, militibus et vitae discrimine custodires? Hoc instituto, hoc consilio, hac denique auctoritate ductus, tanquam nostrae Confoederationis Concivilitatisque Caput ac Jubar, adversus immanem hostem Carolum, amplissimo procinctu, quinquaginta armipotentium millibus et omni telorum genere instructo, qualem raro nostra viderunt secula, et rarius est visura posteritas, Gransu oppidum Sabaudiae, nudius a tuis concivibus arduis armis quaesitum, obsidentem, et arietibus, cuniculis, machinis petrariis, aliisque diversis missilium generibus coarctantem, tuis cum Confoederatis delectum movisti militem. Nonnulli vero tuorum concivium, ad oppidi hujusmodi defensionem ferme quingenti ab intus deputati, mori non formidantes, pro pellibus eorum solliciti, Burgundionibus viriliter restiterunt; famis tamen inedia demum angustiati, ut jam vitae spes aut fugae ipsis superesset nulla, pacificum oppidi exitum, quem prius repulerant, animo susceperunt grato, quem equidem perfidus hostis gratiae Sacramento fulcivit, et firmata fide ratum esse vovit, haec ipsaque pacis fides nihilominus, exiguo temporis spatio interjecto, cum jam libere abeundi dies advenisset, et concives tui per medium

Burgundionum exercitum oppido cedere vellent, violata est. Tuos enim Confoederatos, ad praedicti oppidi munimentum delectos, hostis atrocissimus comprehendens, miserabili cruciatu discerpsit, crucibus furcisque adjudicavit. O lamentabile tormentum! O moesta tristitia! Data fidei juramenta violantur, pax infringitur. Haec est illius Principis militia, qui leone est deterior. Is enim tametsi invadat erectos, prostratis tamen parcit, juxta Poetam: Parcere prostratis et debellare superbos; et juxta alium: Parcere prostratis novit ira leonis. Dum haec itaque aguntur, exercitus tuus, Princeps Spectatissime, ad lapidem ferme ab oppido Gransu castrametatus, audiens suos furcis adjudicatos, ira non ab re incanduit et efferbuit, et in suorum vindictam castris Burgundionum sese approximavit: primo se dividens, sed tandem unitus, orationis sese prius fulcramento genibus affusus praemunivit, Cunctipotenti sese DEO commendans, cujus Potentatu bella geruntur, ejusque misericordiam omni devotione invocans: mox dehinc adversum hostes consurgens. Quem dum vidit Burgundio immanis, stridet, clamat, et more lupi ululat, qui sic adversarios terrere ac pavitare autumat, tuorum exercitum despectui habens, in eoque congressu eundem intercludere attentans, adeo ut nostrorum iter praeripere niteretur; verum procax fortuna ratione potentior omni, suum diffudit consilium, quaeque sola gravata levat, et tuta tuetur, sparsas tuorum concivium collegit alas, nostrumque fulminare exercitum in Burgundiones haec ipsa hera adeo ammonuit, ut omnes uno clamore assentirent, parati mortem prius recipere, quam viventibus ipsis campum fugiendo relinquere. Fraxineis ipsorum lanceis in tantum restiterunt, ut armorum fragor et strages bellica tympanorum ac lituum clangorem vinceret, sagittaeque hostium astra obnubilarent, et missilium, a pixidibus aliisque bellicis instrumentis emissorum, frequens nimbus aërem obtegeret; Gallorumque umbones dissipantes, quibus Gallica inflatio ac bulla resplenduit, et hostium thoraces pixidibus dissarcientes, vulnera eis lethalia

influxerunt, ita ut cruor manans largis vulneribus arva purpuraverit, potioribus Burgundionum Vasallis, duobus videlicet Comitibus, ut creditur, quadringentisque plebeis inibi relictis ac trucidatis. Tandem tuorum impetum Almaniae hostis sustinere non valens, nec sustinere ultra ferri aciem, tamquam degener profugus terga vertit, et castrorum et papilionum compedia elegit, in proximas civitates et Gebennas et Lausannam sese recepit. Quem concives tui, Princeps Oculatissime, per castrorum medium trucidantes insequuntur, hostium tentoria omnibus gazis, victualibus, diversorum telorum generibus, quadringentisque pixidibus referta obtinentes et, quod dignum memoratu est, Curuli sede ac Cathedra argentea auro obrizo pluris aestimationis exornata, paterisque aureis et argenteis, aliisque clenodiis, pecuniarum copiis, vestibus lacernatis, milleque curribus falcatis et onerariis, sub sexingentorum millium florenorum summaria taxa complexis, inibi relictis acquisitis. Tanti profecto hostis, qui et Romanum Imperium inquietavit, et Galliam domuit omnem, paucis pugnatorum millibus victores Confoederati Tui, ad castrorum gazas et, rapienda praedae munera properarunt. Ibi esuriens reperit refectionem, sitiens potum, nudus operimentum, debilis refocillationem, lassus requiem. Illic unusquisque suae indulxit voluptati, et partiti sunt aequis partibus opes partas, quarum ingentiores copiam aetas nostra aliquo in bello parari non viderat. O quam bellicosa est tua Alpium Natio, potens viribus et terris! quae in Gallorum Helvetiae Comatae Galliae genus adeo effera semper fuit, ut ipsorum provinciam paene subjecerit totam, et ut in eorum capita conjurasse credendum sit, cum nullum incommodum, nullas mortes reformidet Gens tua, capitalioremque esse inimicitiam inter eos, quam inter lupum et ovem autemem, quorum membris adeo affixum esse odium Summus Albertus testatur, ut si ex utriusque cordulis citharam composueris, nunquam melodiam atque suavem quandam harmoniam resonare valeat. Magnificentissime Princeps, habes

tantae rei ordinem, quem si mature animadvertere conaveris, divinum potius, quam humanum judicabis. Neque velim ad haec inania verba conspicias, sed ad ipsius pugnae magnitudinem; longe enim inferior est hisce rebus conscriptio mea.

De Pugna Sedunensi.

Praeclaram Sedunensium pugnam adversus Ligures, Longobardos et Neapolitanos Burgundionum complices, Praeclarissime Princeps, Tibi scriptitare non omittendum duxi. Qui ubi Comatae Galliae senserunt vastationem ad interitum, gelidas proficiscuntur Alpes, Carolo Burgundionum Duci opitulari intentantes; motis signis, Apenninum petunt montem, qui alias Jovis vel Bernhardi dicitur, per Sessonum, id est Sedunensium terram, Intramontanam dictam, Gallis Togatis Comatisque inimicam, quam nuper Sessonnes illi arduis quaesierant armis, iter arripientes, et hanc ipsam terram ferro, igne aliisque irruptionibus arcere cupientes, triginta ex Sessonibus, ad viarum excubias deputatos, trucidarunt. Eam ob causam Sessonnes collecto robore suarum vallium ob defensionem suorum ac vindictam, anno Domini 1476 d. 17 mensis Aprilis, illis cum Liguribus congregari ausi sunt, ipsorum aciem adeo dirimentes ut montium praerupta compendia, saltus et ardua rupis peterent, fugaeque praesidium quaerent, incerti, quae tuta petant et quae metuenda relinquunt. Quos Sessonnes, per saxa et invia raptim iter quaerendo, ad usque Bernhardi hospitale insecuti, mille ferme equitibus per talia discrimina praecipitatis ac trucidatis, immensisque gazis ibi quaesitis, et potioribus captivatis, ad propria cum trophaeo remearunt.

Bellum circa Murretum alias Murten adversus Burgundiones.

Ea tempestate, 13 die mensis Junii, qui de juvenum nomine nomen accepit, a quo vitis habet quod floreat, uva propinat quod autumnus bibat, et quod tibi bruma reservet,

et cum tumet in messem arida seges, Soleque tenente medium taurum, Carolus saepe nominatus Alpium hostis truculentus, tyrannidi suae adeo usque finem imponere non autumans, ex omnibus Galliae et Italiae visceribus sexaginta armipotentium millia delegens, tuorum Foederatorum terram, Illustrissime Princeps, irrumpens, Murretum usque venit, idque Sabaudiae oppidum obsidione vallavit, et nostros ferme 1500 pro oppidi defensione delectos arcere furcisque, ut ejus consuevit truculentia, adjudicare cupiens, permultos oppidanis inferens insultus, oppidi muros acriter impetere coepit, adeoque impegit, ut oppidani subsidii et opitulationis beneficium expeterent. Profecto Bernenses omni cum vigilantia Foederatorum sociorum omnium opitulamen implorantes, Te etiam Principem fidelissimum, Concivilitatis nostrae tanquam Jubar, non ab re impulsarunt; ubi nisi Te, ut confoederationis hujusce anchoram ostendisses, haec ipsa Burgundionum irruptio nihil conducibilitatis nobis attulisset. Galeatis enim armipotentibus delectissimis octingentis, duobus cum pedestrium millibus, quos Bernam versus misisti, tuam non dedignatus es ostendere fidelitatem. Belgicae vero Galliae, id est Lotharingiae Dux Serenissimus Richardus, Foederis nostri non immemor, sese septuaginta cum equitibus, sicuti fidei Princeps, coram ostendit. Itaque tuorum exercitus jamjam coadunatus, triginta millium pugnatorum numero completus, vigesima secunda die mensis ejusdem mane, cum Sol stillaret Eous roriflua lampade, Murretum versus iter accelerans, pernicibus gressibus pavidum praevertere Burgundionem, obviusque ire Gallis parat; hunc ipsum Carolum Alpium hostem bello petit, commissoque proelio, Militares tui, Militae insignibus ac sacramentis a Balivo tuo Osualdo Comite de Tierstein insigniti, laxis habenis, veluti fortissimi tyrones, imparibus concurrere viribus hosti aestuantes, primi in acie cornipedes stimulant, jamque sonus, strepitus et armorum fragor utrinque audiri coeperat, lituumque sonitibus valles respondebant, ictusque aër fragoribus per Echo strepitum ingeminabat. Quos

adesse videntes Burgundiones, armorum luce et splendore fulgentes, et in ipsorum millibus confisi, in campi planitie nostris atrociter obviarunt, bellicque ingruit horror, ut utrinque caderent. Dehinc discursantibus hac illacque Burgundionibus, tuis autem, Clarissime Princeps, ob antiquae fortitudinis geminam virtutem viriliter dimicantibus, et sedecim millibus Gallorum caesis in campoque relictis, caeteri versis in pectora dorsis ac vultibus una cum Principe ipsorum degere, quo unicuique locus dabatur, turpissimam fugam rapuere. Plures fugae terga mandantes, per vicini lacu gurgitem gradum rapientes, quatiuntur et absorbentur, juxta illud: Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Nostri vero per duos lapides insequi non cessantes, multos extinxerunt, et ad hostium papiliones reversi, opulentio- rem quam circa Grandson praedam nacti, Burgundionumque pluri- existimationis exuviis ditati, ingenti cum trophaeo ibidem tribus diebus, sicuti bellantium mos est, feriatum sunt. Centum duntaxat ex nostris, ut creditur, trucidati sunt, plures tamen vulneribus sunt afflicti. Postridie Lotharingiae Dux Clarissimus, assumptis secum tuis galeatis, Serenissime Princeps octingentis, decem cum peditum millibus, ex toto foederatorum procinctu delectis, caeteris demum revertentibus, Helvetiorum Civitates Lausannam, aliaque Sabaudensium oppida ac castra fere Gebennas usque, cana in rupe pendentes, hostes insequendo perdere nititur, juxta Lucanum lib. I (v. 435):

Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Primo ad munitissima Helvetiorum oppida Reymont sive Rotubdum montem, alias Regis montem, Milden, Paterniacum, olim Päterlingen, Lausannamque celeriuscule iter convertunt; quas mehercule munitiones, pretiosioribus gazis ablatis, virisque muri abrupta tuentibus paene vacuas invenere, cum omnes prae timore ex eis effugerint, hasceque Laci Lemanni munitiones praeter Lausannam, quam duntaxat spoliarunt, ferro, milite, igne vastare, evertere, evellere, soloque penitus coaequare non formidarunt, fuitque, e castor,

magnus planctus praedicta in terra factus et flebile murmur, adeo ut femineus clamor aurea sidera personaret; ab eaque parte nostri praedictis oppidis ignem subjecerunt, qua magis ventorum spiritus incubuit, omnibus exuviis manibusque inibi relictis, depopulatis ac adeptis; totaque nihilominus Sabaudiensium Laci Lemanni terra, quae jam Foederatorum nostrorum anchoris post plurima bellorum pericula ac discrimina haeret, obtenta, quaesita, nacta, ad propria duplici cum triumpho remearunt

